DECAEDE ET INTERITV GALLORVM REGIS, HENRICI TERTII, VALESIORVM VLTIMI, EPIGRAMMATA.

Herod. Terps:

Οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδίκων τί σιν οὐκ ἀποτίσει.

OXONIÆ,
Ex officina Iosephi Barnesij, *Celeberrimæ Academiæ* Oxoniensis *Typographi.*
Anno 1589.

ILLVSTRISSIMO VIRO DOMINO
FVLCONI GRIVILLO OBSER-
VANTIÆ ET AMORIS ERGO.
D D.

Dum tu Sidnæi regale poema recudis,
Nos hoc de Gallo Rege poema
damus.
Parcite Sidnæi Maneſque, manuſque
Grivilli:
Nemo hîc Sidnæus, nemo Grivillus
adeſt.

IN QVATVOR FRATRES, FILIOS HENRICI SECVNDI.

LÆDITUR vlceribus lævam
Franciſcus ad aurem,
Purpureãq; animã Carolus ore vomit.
Turpis Aleuconij morbus Ducis occupat artus. (obit.
Papicolæ Henricus vulnere Fratris
Iam credo Æacidàs genituràq; & gente Capetos,
Nam triſti, & ſævo funere quiſq; perit. Pauſan. in Attic.

De morte Henrici tertij.

REX delicta ſacro patri fatetur,
Fidens Catholicis, vt ante, nugis:
Sed vix, Confiteor ſuum profatur
Quin ferro reſerans Pater profundos
Ignari citò pectoris meatus,
Inclamare animâ facit cadentem
Languenti, miſeraq; DE PROFVNDIS.

Ad Henricum tertium.

VT tibi nullus erat frater diadematis hæres,
At, tua qui peteret viſcera, Frater erat.

De Henrico tertio.

NE Sexto aut quinto melior ternarius eſſet,
Per Sextum Quintum Tertius interijt.

Catharinæ de Medicis Epitaphium.

GAllorum gallina iacet, tribus inclyta gallis,
Gallia iam Gallos deſine ferre novos.

In tumulum Henrici Ducis Guiſij.

QVI voluit gladium manibus divellere Regis,
Et gladio, & manibus vulnera Regis habet.

Ad Carolum Cardinalem Borbonium.

AUDI Carole Cardinalis audi,
Qui perdis Patriam, domumq; Patris,
Dum præfers patruum ſenem Nepoti.

Audi Carole Cardinalis audi.
Pro cristâ Dominum resume Christum
Non hæte Galeæ decent minaq,
Divina magis & magis decebunt
Indutum rubeo Preces galero.

In Papam.

PAPA suos docuit Regali sanguine natos
Conspurcare manus, crudeles vos quoq, nati.
Crudeles nati magis, an Pater improbus ille?
Improbus ille pater, crudeles vos quoq, nati.

Ad Sereniſſimam Reginam Elizabetham.

REgina Elisabetha disce lapsi
Exemplo monachos cavere Regis.
Nam curâ & studio pari necare
Qui Regem potuêre, masculumq,
Reginam voluêre, fœminamq,

Votum pro Britannia.

Olim animo Nostrâs carmen tulit istud iniquo
ET PENITVS TOTO DIVISOS ORBE BRITANNOS
Nunc quando accensis totus micat ignibus orbis,
Quam vellem toto divisos orbe Britannos?

Confeſſion.

COnfeſſe and be hangde man
In Engliſh ſome ſaie,
Confeſſe and be ſtabde, nowe
In Fraunce Friers plaie.
In French, or in Engliſh,
What difference my friend,
Since hanging and ſtabbing
Come al to one ende?
God Keepe vs I praie then
From ſuch a profeſſion,
That hangs thoſe, or ſtabs thoſe
Which come to confeſſion.

De Gallia rege exorbatà.

DElirant meaici, qui, ſi caput enſe recidas,
Orbari ſenſu cætera membra docent.
Non ego plus medicis credam: mala maxima ſentit,
Orba tamen capite eſt Gallia trunca ſuo.

In Lutetiam quæ Regi ſuo reſtitit.

QVAM bene de turpi dicta es, Lutetia, luto?
Facta geris luto ſordidiora tuo.
Bella nefanda moves, vt tandem rege peremto,
Augeſcat vomen per mala bella malum.
En frueris voto: iam ſtagnis fœda cruentis,
Integra, ſi ſpectes, Gallia Lutetia eſt.

De morte Henrici regis.

TVRTVR avem cuculi nido ſi admiſerit vnam,
Illa brevi ingenuas aucta necabit aves.
Mater alit multos ſub regia tecta Cucullos,
Vnus in his cuculus forte Cucullus erat.
Capra lupi catulos lactat, Catharina lupercas.
Altricis ſobolem mactat alumna ſuæ.

Ad Galliam de Rege Navarreno.

ÆGra diu fueras (Medicêis, Gallia, philtris,
Et tandem Medicum transfodis agra tuum.
Nunc moribunda iaces furiali percita morbo.
Immeritam medicus quis tibi præſtet opem?
Vnicus en ſupereſt, quem vel Θεόφρασον *habebis,*
Vel (ſi illud mavis) ecce Γαλήνον *habes.*
Ille operam Navare *ſolet ſine fraude fidelem,*
Et certam (quamquam es perdita) ſpondet opem.
Ille ſalutiferas tibi molliter admovet herbas,
Et, ſi herbas nolis ferre, metalla parat.

Ad Angliam de vicina Gallorum calamitate.

QVID bellicoſus Cantaber, & diu
Vexata bellis Belgia cogitet,
Tandem remittamus, Britanni,
Quærere, iam propius timentes.
Lupum in propinquis conſpicio iugis

Late furentem: cernite, cernite,
Agnosq́, dispersos, luposq́
Intr epide pecudem vorantes.
Pastor lupino doctus ab vbere
Lupis regendum tradiderat gregem:
Illiq́ naturam sequentes
Sanguineis rubuêre prædis.
Auget remotus nequitiam timor.
Crevit luporum cum numero furor.
En Pastor ipse armatus vnco
Vngue perit domitus lupino.
O innocentûm Panovium deus,
Qui segregatum de reliquis gregẽ,
Pontoq́ munitum profundo
Præreliquis colis Anglicanum:
Insanientem reprime belluam,
Longeq́ nostris pelle mapalijs:
Nec pastor Anglorum, nec Angli
Progeniem videant lupinam,
Conside custos Christicolæ gregis,
Lupis carentem quæ regis Angliam
Conside: nam proles luporum
A canibus fugit Anglicanis.

PHILOLAVS.

In fratres regum percussores.

ANTE hæc invîdi tibi Naso, nomina vatis,
Nunc tandem hunc titulum vaticinatus habe.
Prædixti verè, FRATRVM quoque GRATIA
Per quos ne vivis regibus esse licet. (RARA,

Lib. 1. Metamorph.

In eosdem.

QVæritis vnde animus subito iam fratribus iste,
Vt Tela arripiant, abijciant q́, libros?
In dextrâ Pauli gladium, librumq́ sinistrâ
Vidêre, vt LÆVI tædeat hosce LIBRI.
Scilicet omen ab hôc expectant credo, siniſtrum,
Auxilium DEXTER si modo MVCRO neget.

In

In eundem & confessorem & regis sui interfectorem.

ARreptâ quondam FRATRIS vulpecula veste,
Et superinduto capiti de more Cucullo,
Et zonæ appenso Globulorum torque remissæ,
Et CONFESSORIS prætexens nomine fraudem,
Chara minus cauto subduxit pignora GALLO.
Quod personatus fecit fraterculus, illud
Non faceret verè, nec solo nomine Frater?
Imo, ne scelere hic videatur cedere vulpi (LVM.
GALLORVM summũ transfixit vulnere GAL-

De eodem.

COnscius ipse sibi sceleris Fraterculus omnis,
Regis vbi audivit crimina pauca sui
Attonitus primo, mox artem excogitat, ex qua
Quæ cælata putat crimina, scire queat,
Innocua occulto recludit pectora ferro,
Inclusa vt nudet tegmine corda suo.

De pugione cœdis regiæ instrumento.

ILLE & nefasto te (pugio) die.
Ille & scelestâ te pugio manu
Cudit, metalla qui tibi
Miscuit impia, regiumq;
Fusura sæuo vulnere sanguinem:
Quo tu exedêris sanguine vindice,
Rubigo cum te texerit
Digna superficie nefandâ.

Ad Franciam vt peregrinum non admittat

HArpagus Astyagem cum Cyro proderet hosti,
Tunc primum Persæ iura dedere Medis.
Hispano placuit fortassis Francia Cyro,
Harpagus & regem hunc Francicus esse cupit.
Libera sed caueas ne fias, FRANCIA, serua.
Seruit cui iuris non licet esse sui.

MISOPHONVS.

Francia a libertate dicta quasi Franca.